

IN III. PARTEM & SUPPLEMENTUM

DISPUTATIO XXVIII.

*De Pœnitentiâ in quantum est virtus & Sacramentum.*

**N**Omen pœnitentiæ desumptum est à pœnitendo, sive pœnam tenendo, pœnitere enim est pœnam tenere, ut semper puniat in se ulciscendo, quod commisit peccando inquit author lib. de verâ & fals. pœnit. ( qui refertur inter opera S. Aug. Tom. 4. ) cap. 19. aut potius à passivo: pœnâ teneri, variè in sacra Scriptura sumitur. 1<sup>mo</sup>. Pro pœna, quâ quis admissum crimen castigat, sic intelligi debet hæc sententia Christi Matth. 11. v. 21. *si in Tyro & sidone & c. in cinere & cilicio pœnitentiam egissent & illud Lucae 11. v. 23. pœnitentiam egerunt* ( scil. Ninivitæ ) *ad prædicationem Jone.* 2<sup>do</sup>. Pro odio & detestatione vitæ veteris, sic ait Petrus Act. 2. v. 38. *pœnitentiam agite & baptizetur unusquisque vestrum*, id est: detestamini Deicidium, quod admisistis in morte Christi. 3<sup>to</sup>. Pro resipiscentiâ seu mutatione vitæ veteris iniquæ in novam piam & sanctam, in quo sensu loquitur Apostolus 2. ad Corinth. 7. v. 10. *que secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur*; hæc tria significata per nomen pœnitentiæ nempe vindictam præteritorum peccatorum, odium vitæ veteris; & propositum novæ includit virtus pœnitentiæ, quæ à Catholicis describitur; virtus inclinans hominem ad detestandum & vindicandum peccatum à se commissum, quatenus est offensa & injuria Dei. 4<sup>to</sup>. Pœnitentia sumitur pro vero & propriè dicto Sacramento

## 2 DISPUTATIO XXVIII

novæ legis, quo peccata post Baptismum commissa delentur de quo: Trid. Sess. 14. Can. 1. de Sacramento pœnitentiæ: *si quis dixerit in catholica Ecclesia pœnitentiam non esse verè & propriè Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis ab ipso Christo domino institutum, Anathema sit*; de pœnitentia tam prout est virtus quam prout est Sacramentum tradere cœpit D. Th. 3. p. Q. 84. at morte præventus prius terminum meritorum quam finem summæ Theologicæ consecutus materiam de pœnitentia non absolvit, sed hunc defectum postmodum suppleverunt in supplemento: ex scriptis D. Thomæ compilato alii Doctores. Propter connexionem autem materiæ exordium fit ab hac Disputatione.

## QUÆSTIO I.

*An pœnitentia sit virtus & qualis, quodnam sit ejus objectum & subiectum?*

**D**ICO I. *Manifestum est, quod Pœnitentia est virtus, vel actus virtutis* S. Th. hic. Q. 85. A. 1. O. *Probatur* ratione D. Th. habitus electivus juxta rectam rationem secundum Philosophum lib. 1. cap. 2. & 6. Ethic. est vera virtus: proprius enim actus virtutis, à quâ quis denominatur bonus, virtuosus, studiosè & laudabiliter operans est electio secundum rectam rationem, sed Pœnitentia prout denotat habitum, est habitus secundum rectam rationem electivus: quia inclinat ad assumendum moderatum dolorem de peccatis præteritis, cum intentione illa removendi & emendandi, ad rectam autem rationem pertinet, ut aliquis doleat de illo, de quo est dolendum, & ipse dolor est electio secundum rectam rationem, ergo Pœnitentia est virtus vel actus virtutis, suntque actus Pœnitentiæ præcepti

DE POENITEN. INQUAN. EST VIRTUS & SACRA. 3  
cepti præcepto divino, sunt supernaturales, sunt  
meritorii & ex speciali Dei auxilio elicitum juxta Trid.  
Sess. 14. cap. 4. facientes ex peccatore justum, ex ma-  
lo bonum, quæ omnia sunt indicia actuum vir-  
tutis.

*Obj.* Pœnitentia non est virtus, quia non est de  
bono sed de malo utpote de peccatis; virtus  
autem est de bonis. 2. Quia non est appetibilis prop-  
ter se, sed propter peccatum; est enim in solo pec-  
catore præsupponens peccatum præteritum. 3. quia  
non opponitur malo, sed potius malum in objecto  
præsupponit. 4. Quia est circa impossibile: facit  
enim velle peccatum præteritum non esse commis-  
sum, quod est impossibile. 5. Quia verecundia juxta  
Philosophum non est virtus, eo quod supponat pec-  
catum, ob quod timetur infamia. 6. Quia est passio  
appetitus sensitivi; cum pœnitere juxta S. Grego-  
rium Hom. 34. in Evangelia sit perpetrata mala  
plangere. 7. quod ejus actus sit tristitia, quæ non est  
optima operatio: cum tamen virtus juxta Philoso-  
phum sit dispositio perfecti ad optimum.

*R.* ad 1. Pœnitentiam esse de malo vel de pec-  
catis tanquam de objecto materiali terminante  
actum fugæ, objectum autem formale terminans  
actum prosecutionis est Jus divinum, quod per pec-  
catum est læsum & per Pœnitentiam est reparan-  
dum.

2. Virtus Pœnitentiæ est appetibilis propter se;  
id est: propter propriam honestatem, quæ præsup-  
ponat peccatum tanquam materiam destruendam,  
suam tamen appetibilitatem non habet propter pec-  
catum, sed propter propriam honestatem desump-  
tam à reparatione Juris divini per peccatum læsi.

Ad 3. Quod Pœnitentia supponat peccatum non  
tanquam secum compatibile sed tanquam materiam

4 DISPUTATIO XXVIII.

destruendam. Neque habitus Pœnitentiæ præsupponit præcedens peccatum, cum ità disponat animum, ut si peccatum præcessisset, de eo doleret, & habeat propositum dolendi de peccato, si in illud labi contingat.

Ad 4. Quod quamvis pœnitens ex displicentiâ præsentis maculæ & offensæ habitualis exeat in displicentiam causæ nempe peccati præteriti & exinde prorumpat in actum inefficacem & conditionatum, quo vellet nunquam peccasse, si foret possibile, absoluta tamen & efficax illius voluntas terminatur ad satisfactionem Deo præstandam pro peccato præterito & exindè ad destruendam offensam ex peccato relictam.

Ad 5. Esse disparitatem: quod verecundia supponat turpe factum tanquam præsens & causam alicujus infamiæ, undè magis est fuga infamiæ quam peccati, Pœnitentia verò supponit peccatum præteritum emendandum & destruendum.

Ad 6. Quod passio appetitûs sensitivi ex actu virtutis procedens sit virtuosa, & talis est planctus peccati, qui prout est à virtute Pœnitentiæ primario est rationalis, secundo & per diffusionem etiam est sensitivus.

Ad 7. Virtutem esse dispositionem perfecti ad optimum non in omni sed in suo genere, & sic tristitia, quæ est actus Pœnitentiæ, est optima operatio comparativè ad proprium objectum ipsius, quod est satisfacere Deo pro injuria per peccatum propriâ voluntate commissum illatâ.

DICO 2. *Pœnitentia non est virtus Theologica S. Th. hic, Q. 85. A. 3. ad 3.*

*Probatur*; Pœnitentia est virtus moralis; ergo non est virtus Theologica; Ant. patet, quia in hoc distinguuntur virtutes Theologicæ à moralibus, quod

DE POENITEN. INQUAN. EST VIRTUS & SACRA. 5  
quod illæ pro objecto immediato habeant Deum  
vel quandam perfectionem increatam Dei, econtrâ  
virtutes morales immediatè respiciunt quandam  
perfectionem & honestatem creatam, sic charitas  
Theologica proximè specificatur à divina bonitate  
increata, religio autem quæ est virtus moralis ab ho-  
nestate creata cultus divini; sed Pœnitentia licet  
pro objecto immediato cui respiciat Deum, sicut  
religio, pro motivo tamen formali & proximo ha-  
bet bonum creatum compensationis pro offensa pec-  
cati; ergo est virtus moralis & quidem specialis: quia  
procedit ex speciali motivo, & habet specialem dif-  
ficultatem in imponendâ sibi ipsi retractatione pec-  
cati præteriti ad reparandam injuriam Deo illatam.  
Non autem est Pœnitentia (de quâ modo agimus)  
virtus acquisita per nostros actus, sed immediatè  
à Deo infunditur: quia est virtus supernaturalis:  
habet enim motivum supernaturale nempe: com-  
pensationem pro læsione juris divini, quod  
Deus habet super nostras actiones, non tantum ut  
author & finis ultimus naturalis, sed etiam superna-  
turalis; actus etiam Pœnitentiæ sunt supernaturales,  
ordinantur enim & disponunt ad gratiam, & pro-  
cedunt ex auxilio supernaturali, ut patet ex Jerem.  
31. v. 18. & 19. *converte me, & convertar, quia tu  
Dominus Deus meus. Postquam enim convertisti me,  
agere Pœnitentiam* & Trid. Sess. 6. de justif. Anathema di-  
cit illis, qui dicunt, quod homo sine prævenien-  
te Spiritûs Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio  
pœnitere possit, sicut oportet, ut ei justificationis  
gratia conferatur; ergo etiam virtus Pœnitentiæ  
proximum principium elicitive horum actuum su-  
pernaturalium debet esse supernaturale; licet fa-  
teri debeat dari etiam Pœnitentiam acquisitam  
& naturalem, quæ tendat in peccatum destruendum

ex motivo naturali, vel quatenus est malum morale contrarium naturæ rationali, vel quatenus est contra Deum ut authorem naturæ, uti peccatum considerabant Philosophi Ethnici, qui ex utroque motivo poterant dolere de peccatis.

*Obj.* Pœnitentia est virtus destructiva peccati præteriti, quot autem sunt peccata præterita specie distincta, tot sunt diversæ difficultates superandæ per oppositos habitus virtutum; ergo non datur unus specialis habitus Pœnitentiæ destructivus peccati, sed virtus Pœnitentiæ erit collectio diversarum virtutum destruentium peccata sibi opposita.

*R.* Distinguendo: quod sunt peccata, tot sunt distinctæ difficultates ortæ ex speciali inhonestate oppositâ motivo certæ virtutis *Con.* ortæ ex ratione injuriæ & offensæ divinæ *N.* omnes enim speciales difficultates ad rationem injuriæ se non habent formaliter sed materialiter, habitus autem non multiplicantur propter difficultates materialiter diversas sed tantum propter formaliter diversas difficultates.

DICO 3. *Pœnitentia secundum quod est virtus, est pars Justitiæ S. Th. hic Q. 85. A. 3. O.*

*Explicatur & probatur:* illa virtus est pars Justitiæ, quæ sortitur rationem virtutis, in quantum est ad alterum reddens ipsi rigorosè debitum, atqui Pœnitentia sortitur rationem virtutis in quantum est ad alterum, Deum videlicet, habens pro objecto formali compensationem Juris rigorosi, quod Deus habet in omnes actiones creatas, commutando pœnam, quâ pœnitens seipsum affligit, ergà injuriam, quâ Deum læsit, ergo est pars Justitiæ & quidem commutativæ, non subjectivæ, quæ omnes conditiones ad rigorosam justitiam in 2. 2. Disput. XXI. requisitas habeat, sed potentialis: habet enim si-

militudi-

DE POENITEN. INQUAN. EST VIRTUS & SACRA. 7  
militudinem cum Justitia, in quantum commutat  
unum pro altero ad satisfaciendum rigorosissimo Ju-  
ri divino, sed deficit à perfecta ratione Justitiæ;  
quia non ponit perfectam æqualitatem in toto vel  
in parte adæquando Jus divinum; ex quo funda-  
mento loc.cit. Q. VI negatur perfecta Justitia homi-  
nis ad Deum.

*Obj. 1.* Pœnitentia reddit Deo æquale pro inju-  
ria per peccatum illata; quia aliquid exhibet parti  
læsæ, quod illi tantum placet, quantum displicet in-  
juria vel offensa peccati; ergo Pœnitentia est pars  
subiectiva Justitiæ commutativæ.

ꝛ. Distinguendo probat, satisfactio, quæ Deo  
exhibetur per Pœnitentiam, tantum illi placet,  
quantum illi displicuit offensa in ratione injuriæ N.  
tantum illi placet in ratione bonitatis & honestatis  
moralis, quantum illi displicuit offensa in ratione  
malitiæ & deformitatis Con. quod autem satisfa-  
ctio pœnitentis non adæquet injuriam & offensam  
peccantis, ut supponitur ex dictis Disput II. Q. 1.  
indè est, quod pura creatura non possit Deo exhibe-  
re æqualem satisfactionem pro offensa peccati: cum  
magnitudo offensæ ex dignitate personæ injuriatæ  
penseretur, quæ est infinita, quantitas autem satis-  
factionis ex dignitate personæ satisfaciens, quæ est  
finita, defumatur.

*Obj. 2.* Eodem modo per contritionem, quæ est  
actus Pœnitentiæ, homo convertitur in Deum ut ul-  
timum finem, sicut per peccatum fuit aversus à  
Deo: per contritionem enim restituitur Deo in-  
tentativè vel affectivè ratio ultimi finis, quæ ratio  
ultimi finis affectivè per peccatum est ablata; sed  
tantum restituere, quantum est ablatum, est red-  
dere æquale; ergo.

ꝛ. Distinguendo probat, non minus restituitur

Deo ratio ultimi finis per Pœnitentiam quantum ad rationem conversionis oppositæ averfioni quam fuerit ablata ratio ultimi finis per peccatum Con. quantum ad rationem fatisfactionis oppositæ & comparatæ ad offensam aut injuriam peccati N. Ratio est: quia in fatisfactione, quæ est pro læfione honoris, non tantum spectatur operis quantitas, quæ est quasi pars materialis fatisfactionis, sed vel maxime attenditur quantitas & dignitas fatisfacientis, quæ est forma moralis tribuens operi valorem fatisfactionis; sic subditus non fatisfacit superiori, quem denegando debitam reverentiam inhonoravit, si illam reverentiam aliâ vice exhibeat, licet illa actio secundum se spectata sit tantæ bonitatis, quantæ malitiæ est actio opposita; sed insuper debet aliquo modo subicere suam personam & se humiliare, ut ita adæquet subjectio illa irreverentiam illatam; quia verò excessus dignitatis in creaturis est finitus, potest modus subjectionis supplere, quod deest ex parte dignitatis ipsius personæ, Deus autem excedit creaturam infinite.

DICO. 4. *Pœnitentia . . . respicit omnia peccata sed tamen sub una ratione speciali scilicet in quantum sunt emendabilia per actum hominis, S. Th. hic Q. 85. A. 2. ad 2.*

*Explico:* Objectum materiale pœnitentiæ sunt peccata propria voluntate commissa, objectum verò vel motivum formale est honestas compensationis Deo faciendæ pro offensa & injuria, illi per peccatum illata.

*Prima Pars probatur:* quia circa peccata propria voluntate commissa actus primarius pœnitentiæ versatur; ait enim D. Th. in 4. dist. 17. Q. 2. A. 2. *Quia si quod contritio pro peccato fit in eodem, in quo peccati duritia processit, & sic de alienis peccatis non est contritio & hinc Q. cit. A. 1. in O. Pœnitere est de aliquo prius*



DE POENITEN. INQUAN. EST VIRTUS & SACRA. 9  
prius à se facto dolore. Item ibidem ad 3. Dolor pœ-  
nitentis est displicentia seu reprobatio facti prateriti. Cu-  
jus Ratio est: quia proprium est pœnitentiæ reparare  
injuriam per peccatum illatam peccata expiando &  
emendando, non possunt autem propriè expiari &  
emendari nisi propria peccata, in quantum ea, quæ ap-  
probando voluntas contra Deum egit, reprobando ac  
assumpta afflictione puniendo tollit.

*Si dicas:* Id omne pertinet ad objectum pœniten-  
tiæ, quod est detestabile tanquam oppositum juri divi-  
no; sed omne peccatum tam originale quam actuale  
tam proprium quam alienum est detestabile tanquam  
oppositum juri divino; ergo.

*Respondeo:* Vel negando vel distinguendo: id est objectum  
pœnitentiæ quod est detestabile modo expiativo &  
emendativo Con. Quocunque modo N. Dolor qui-  
dem de omnibus etiam alienis peccatis est, sed pœni-  
tentia est de propriis peccatis ut expiandis.

*Secunda Pars probatur:* id est motivum formale  
pœnitentiæ, quod est bonum honestum nulli alteri  
virtuti proprium determinans voluntatem ad actum pri-  
mariū & propriū pœnitentiæ; sed hoc est compen-  
satio juris divini per propriū peccatum læsi: in pec-  
cato enim, quod pœnitentia detestatur, plures in-  
veniuntur rationes; imprimis est malum morale oppo-  
situm bono honesto in communi: quia autem ab eo-  
dem principio amor boni & odium oppositi mali pro-  
veniunt, ideò dolor & odium peccati sub ratione ma-  
li moralis à sola voluntate procedit juxta D. Th. docen-  
tem, voluntatem ad prosequendum bonum in communi  
non indigere speciali habitu. 2dò peccatum est malum  
divinæ bonitati oppositum divinam amicitiam dissol-  
vens, affectivè à Deo tollens rationem ultimi finis, &  
sub hac ratione peccatum charitas detestatur. 3tiò pecca-  
tū est malum ipsius hominis, in quantum hominem pri-  
vat

vat jure ad æternam beatitudinem, reddit reum æternæ damnationis, tollit gratiam cum virtutibus infusis connexis, & sub hac ratione detestatio peccati spectat ad virtutem spei, qua speramus æternam beatitudinem, vel ad habitum charitatis, quo nos ipsos diligimus nobisque volumus æternam gloriam. 4<sup>to</sup> peccatum specialiter repugnat honestati particulari & moralitati speciali cujusque virtutis v.g. peccatum intemperantiæ opponitur particulari honestati temperantiæ, peccatum turti honestati justitiæ, & sub hac ratione detestari peccatum spectat ad illam virtutem, cui peccatum specialiter opponitur; singulæ enim virtutes non minus per actum fugæ averfantur malum oppositum honestati propriæ, quam per actum prosecutionis tendant in honestatem specialem & propriam. Denique est specialis ratio in quovis peccato, quod sit malum oppositum supremo juri, quod Deus habet tanquam supremus Dominus & prima Regula exigens, ut omnes actiones Creaturarum in ipsum dirigantur; hoc jus per quodvis peccatum violatur, & violatum est refarciendum, ac sub hac ratione peccatum immediatè respicitur à pœnitentia.

*Obj. I.* Potest pœnitens dolere de suis peccatis commissis sine hoc motivo compensandi injuriam per peccatum illatam, cum dolor de peccatis sit omninò à tali motivo separabilis: ut patet in casu, quo quis invincibiliter ignoraret, in peccato contineri rationem injuriæ Deo illatæ, hic certè vel dolebit de peccatis suis sine motivo compensandi injuriam, vel erit destitutus remedio necessario satisfactionis: cum pœnitentia sit necessaria ad salutem.

*R.* Potest pœnitens dolere sine motivo compensandi injuriam Deo illatam dolore quocunque **Con.** dolore satisfactivo & proprio virtutis specialis pœnitentiæ **N.** dolor quidem ut sic est separabilis à motivo com-  
pen-

penfandi injuriam Deo illatam, non tamen dolor fatisfactivus, qualis est dolor pœnitentiæ, ut est fpecialis virtus; in cafu igitur pofito potefl elici dolor ex folo motivo charitatis v g. propter oppofitionem peccati cum bonitate divinâ, qui tamen actus non erit elicitus à virtute fpeciali pœnitentiæ, fed à pœnitentia, ut est virtus generalis importans quemcunque habitum deteflavivum peccati fub quâcunque ratione.

*Obj. 2.* Potefl actus pœnitentiæ elici de peccatis jam remiffis & extinctis; fed tunc motivum compenfationis non habet locum: cum injuria remiffa compenfari nequeat; ergo.

*R.* Poffe actum pœnitentiæ cadere fuper peccata jam remiffa & extincta, quando pœnitens non eft certus de perfectâ illorum remiffione, ut fit plerumque in hac vitâ: nemo enim fcit, an amore vel odio dignus fit, tunc autem locum habet adhuc motivum proprium pœnitentiæ fpecialis; fi quis autem certus foret de remiffione peccatorum, poffet adhuc difplacenciam habere peccatorum non ex motivo pœnitentiæ, fed ex motivo alterius virtutis.

*Obj. 3.* Ejufdem virtutis eft reparare jus læfum, cujus eft confervare jus illæfum; fed confervatio juris illæfi fpectat ad virtutem iuftitiæ; ergo etiam ad eandem pertinet reparare jus læfum & confequenter reparatio juris læfi per peccatum non conftituit fpeciale motivum pœnitentiæ.

*R.* Diftinguendo mi. Confervare jus illæfum & reparare jus læfum ad perfectam æqualitatem fpectat ad virtutem iuftitiæ Con. fine æqualitate N.

*Nec dicas:* In debitore depauperato non potente folvere, fi folvat quantum potefl, id fieri ex virtute iuftitiæ, licet non reparet jus læfum ad æqualitatem.

*Contra:* difparitas eft: quod inæqualitas illa in fol-

solvendo, quia pauper debitor non habet, unde solvat totum debitum, non sit intrinseca per se ex parte objecti, sed extrinseca per accidens ratione subjecti, unde non impedit actum iustitiæ: semper enim etiam minimum dando partem juris adæquat, quod absolute adæquari potest, licet pauperi deficiat materia, per eujus præstationem adæquatio fiat; inæqualitas verò satisfactionis in pœnitente est ex parte objecti intrinseca & per se: cum simpliciter sit impossibile, ut pro offensâ peccati Deo à purâ Creaturâ æqualiter præstetur satisfactio.

*Obj. 4.* In Christo fuit efficax intentio reparandi jus divinum per peccatum læsum, & tamen (ut docent Theologi) in Christo non fuit virtus pœnitentiæ. ergo.

*R.* In Christo fuit efficax intentio reparandi Jus divinum læsum per peccatum alienum Con. per peccatum proprium præteritum vel possibile N. motivum autem Pœnitentiæ est reparatio Juris divini læsi per proprium peccatum.

*Colliges 1.* quod objectum adæquatum Pœnitentiæ ex materiali & formali constitutum sit injuria & offensa peccati proprii quatenus expiabilis & emendabilis per actum pœnitentis; ut enim dictum est, motivum formale Pœnitentiæ est expiabilitas peccati, objectum autem materiale est peccatum proprium, quod solum est expiabile, & consequenter objectum quod adæquatum est aliquid ex utroque constitutum.

*Colliges 2.* objectum Cui Pœnitentiæ est Jus divinum, cui fit satisfactio: quia illud est objectum cui in aliqua virtute, ad quod per se refertur finis intrinsecus & immediatus alicujus virtutis, sic objectum cui Iustitiæ est Jus activum creditoris vel quasi creditoris: illud Jus activum enim creditoris per actum

DE POENITEN. INQUANT. EST VIRTUS & SACRA. 15  
actum Justitiæ commutativæ vel solutionem debiti  
reparatur, objectum *enim* religionis est eminentia  
divinæ Majestatis, quæ per cultum religiosum in-  
notescit; eodem modo emendatio & satisfactio  
pro injuria peccati per se refertur ad Jus divinum re-  
parandum, ergo &c.

*Colliges 3.* Ad objectum materiale pœnitentiæ mi-  
nus principaliter spectare peccata venialia: quia pecca-  
tum veniale minus principaliter participat rationem  
offensæ expiabilis, cum sit injuria & offensâ Dei secun-  
dum quid tantum, vel cum addito: venialis, non autem  
est offensâ simpliciter uti mortale: etiam peccata ut evi-  
tanda pertinent secundariò ad objectum pœnitentiæ,  
inquantum vi doloris expiativi peccatorum præterito-  
rum determinatur voluntas ad fugienda peccata in futu-  
rum, ne denuò injuriam expiandam incurrat.

*Colliges 4.* Peccata ut aliena spectare secundariò ad  
objectum pœnitentiæ: quia pœnitentia aut potius vo-  
luntas habitu pœnitentiæ instructa per quandam ex-  
tensionem & connaturalitatem attingit peccata aliena;  
licet enim peccata aliena per proprium pœnitentiæ  
actum expiari nequeant, nihilominus indirectè per  
quandam connaturalitatem peccata aliena terminant  
quosdam actus imperfectos pœnitentiæ; pœnitentia  
enim ad instar aliarum virtutum hoc efficit, ut voluntas  
ad actus perfectivos proprii suppositi assuefacta com-  
placentiam habeat de similibus actibus in alieno suppo-  
sito animadversis, & e contra tristetur de actibus op-  
positis; sic homo justus virtuti justitiæ assuefactus gau-  
det etiam de alienâ justitiâ, & displicentiam concipit de  
alienâ injustitiâ, eodem modo pœnitens de alienâ pœ-  
nitentiâ gaudet, & dolet de peccatis alienis & de alie-  
nâ impœnitentia.

DICO 5. *Pœnitentia secundum quod est virtus, est  
in voluntate sicut in subjecto. S. Th. hic Q. 85. a. 4. O.*

*Pro-*

*Probat*ur: In illo subjecto proximo (de remoto statim) est virtus pœnitentiæ, à quo diciuntur actus pœnitentiæ: sunt autem actus præcipui pœnitentiæ intentio compensandi injuriam Deo illatam & dolor satisfactivus propter injuriam peccati, sed hi sunt actus voluntatis: quia attingunt bonum compensationis, quatenus est aliquod bonum extrinsecum Deo; sola autem voluntas attingit bonum tanquam proprium objectum; ergo actus elicitæ pœnitentiæ sunt actus voluntatis & consequenter habitus pœnitentiæ residet in voluntate.

*Adde*: Pœnitentia est virtus ad alterum circa bonum alterius versans; sola autem voluntas versatur circa bonum alterius, ratio vero vel intellectus est circa verum, appetitus sensitivus circa bonum sensibile proprium; potest quidem ad actum pœnitentiæ v. g. dolorem de peccatis sequi aliquis motus vel sensibilis dolor in appetitu sensitivo, id tamen est per accidens, nec talis dolor sensibilis ad actum pœnitentiæ requiritur, sed perfecta contritio obtineri potest independentè à dolore sensibili, quin etiam tali dolori sensibili rationalis præsupponitur: quia prius est dolor in voluntate, ex quo deindè dolor in appetitu & lachrymæ ex oculis derivantur, cum enim illæ potentiæ radiceantur in eadem animâ, propter sympathiam in ordine ad eundem finem obtinendum anima operans per unam potentiam etiam facilè operatur per aliam potentiam.

*Obj.* In illo subjecto est virtus pœnitentiæ, in quo est superanda difficultas propria virtutis pœnitentiæ; sed difficultas, quæ est in exequendis operibus pœnitentiæ, est in appetitu sensitivo: pœnitens enim abstinere debet à delectabilibus, quæ inducebant in peccata, appetitus autem sensitivus propendet in delectabilia; pœnitens ex virtute pœnitentiæ suscipit ope-  
ra

DE POENITEN. INQUAN. EST VIRTUS & SACRA. 15  
ra pœnitentiæ ad vindicanda scelera, quæ abhorret  
sensualitas; ergo superanda difficultas per pœnitentiam  
est in sensualitate vel concupiscentiâ.

R. Cum objectum virtutis pœnitentiæ sit aliquid  
spirituale: nempe jus divinum læsum resarciendum  
per iustitiam imperfectam, non potest residere in alio,  
quam subjecto spirituali, quale est voluntas, & non  
concupiscentia; ex virtute tamen pœnitentiæ in volun-  
tate residente actus aliarum potentiarum imperantur,  
& ita ex imperio voluntatis in appetitu sensitivo cau-  
santur motus consentanei affectibus pœnitentis, à quo-  
rum motuum frequentiam nascitur aliqua proclivitas ad  
similes actus tristitiæ sensibilis, sed hæc non pertinet  
ad ipsam virtutem pœnitentiæ.

Q. Quodnam sit subjectum remotum pœnitentiæ?

R. Subjectum remotum virtutis pœnitentiæ est om-  
nis homo purus existens in gratia peccati capax. Ex-  
plicantur singula

*Dicitur I. Homo: quia Angeli sunt incapaces  
pœnitentiæ; cui enim subjecto repugnat actus Prima-  
rius virtutis, in illo virtus subjectari non potest: quia  
nulla datur inclinatio intrinseca ad aliquid impossibile;  
ergo si actus Primarius alicujus virtutis sit impossibilis,  
illud subjectum non poterit habere inclinationem in ta-  
lem actum, & consequenter nec virtutem quæ est in-  
clinatio in actus virtutum; sed Angelis repugnat actus  
Primarius pœnitentiæ: nempe retractatio peccati pro-  
prij; quia sunt inflexibilis arbitrii, ita ut, quod se-  
mel plenâ electione elegerint, retractare nequeant.  
Ita S. D. in 4. dist. 14. Q. 1. a. 3. Q. lã 4. de Angelis:  
*Quia peccatum ut est remissibile vel expiabile est propria  
materia istius virtutis, qua pœnitentia dicitur: ideò  
cum materia non possit eis competere: non adest eis  
potentia exeundi in actum; & ideò nec habitus eis con-  
venit: & ideò Angeli susceptivi pœnitentiæ virtutis esse  
non possunt.**

*Dici-*

*Dicitur 2.* Purus : quia Christus Deus & homo erat incapax pœnitentiæ ; erat enim essentialiter impeccabilis , ( ut dictum est hic Disput. IX. Q. III. ) ideoque sicut non poterat peccare, ita nec poterat pœnitere, proindè non per actum pœnitentiæ, sed per actum iustitiæ pro peccatis hominum ex toto rigore condignè satisfecit.

*Dicitur 3.* Existens in gratia : quia peccator sive damnatus caret habitu pœnitentiæ, pœnitentia enim adinstar aliarum virtutum infusarum moralium sequitur gratiam sicut proprietas essentiam eamque prius natura supponit, damnati in malitia obstinati specialiter sunt incapaces virtutis pœnitentiæ : quia repugnat in eodem subiecto simul esse habitum im- & pœnitentiæ. Non obstat quod Sap. 5. v. 3. de damnatis dicitur : *Pœnitentiam agentes & præ angustia Spiritûs gementes* ; quia illis verbis non indicatur vera pœnitentia & efficax retractatio peccatorum præteritorum ex motivo honesto & supernaturali, sed tantum significatur naturalis detestatio propter experientiam pœnarum & doloram ratione peccati inflictorum.

*Dicitur 4.* Peccati capax : quia eo ipso, quod homo iustus sit intrinsecè peccabilis, nec motivum formale, nec actus Primarius pœnitentiæ illi repugnat, & consequenter est subiectum capax pœnitentiæ.

*Sequitur 1.* Fuisse habitum pœnitentiæ in Adamo ante peccatum cum gratia & virtutibus infusis : quia enim in illo statu Adam erat capax peccati ( ut prò dolor experti sumus ) etiam dono habitualis pœnitentiæ fuit præditus ; quamvis autem in illo statu felici non poterat retractare peccatum, & ita elicere actum Primarium pœnitentiæ, id tamen non erat propter intrinsecam repugnantiam & impossibilitatem peccandi, sed propter extrinsecam repugnantiam ratione statûs.

*Sequitur 2.* Virtutem pœnitentiæ esse in infantibus  
Bapti-



DE POENITEN. INQUAN. EST VIRTUS & SACRA, 17  
Baptizatis: quia sunt instructi gratia sanctificante, &  
consequenter etiam ornatu virtutum moralium, licet  
autem de facto non possint elicere actum aliquem pœ-  
nitentiæ, id non provenit ex impedimento perpetuo  
& intrinseco, sed extrinseco, eo quod organa non-  
dum sint disposita, ut serviant intellectui & voluntati,  
quorum usu tantum committi potest peccatum.

*Sequitur 3.* In beatis esse habitum pœnitentiæ:  
quia licet in illo statu beato non inveniatur aliqua re-  
tractatio peccati, quæ est actus Primarius pœnitentiæ,  
id tamen non contingit propter intrinsecam repugnan-  
tiam & impossibilitatem sed propter repugnantiam ex-  
trinsecam ratione statûs, ideo ex motivo satisfactio-  
nis pro peccatis propriis Deo exhibendæ moveri pos-  
sunt ad quosdam actus secundarios pœnitentiæ v. g.  
ad voluntatem conditionatam dolendi de peccatis si  
illa commisissent, vel ad gaudium de peccato non  
commisso aut expiato. unde S. Th. in 4. dist. 14. Q. 1.  
a. 3. Q. lã 4. ad 4. *Non est eadem ratio de Angelis  
sanctis & animabus sanctis: quia in animabus sanctis  
precessit vel precedere potuit peccatum remissibile, non  
autem in Angelis.* Ex eadem ratione communiter  
docent Theologi in B. V. M. fuisse habitum pœniten-  
tiæ: quia, licet ratione protectionis extrinsecæ &  
auxiliorum efficacium, quibus ab omni etiam veniali  
peccato custodiebatur, non poterat peccare, non  
erat tamen impeccabilis.

*Dices 1.* Virtutes Theologicæ fidei & spei manent  
in peccatore, nec perduntur per peccatum: ideo  
quia harum virtutum actus sunt necessariæ dispositio-  
nes ad gratiam recuperandam; ergo etiam virtus pœ-  
nitentiæ; cum sine pœnitentiâ nullum peccatum re-  
mittatur.

*R.* Negando conseq. disparitas est: quod virtutes  
theologicæ fidei & spei ordine generationis præcedunt

gratiam, & ideo possunt independenter à gratia extare, ac amisso statu gratiæ manere informes; at virtus pœnitentiæ est proprietas consequens ad statum gratiæ, sicut omnes aliæ virtutes morales infusæ ex gratia tanquam radice dimanantes, ideoque amissa gratia pœnitentia subsistere non potest; major enim est necessitas fidei & spei ad recuperandam gratiam, quam habitus pœnitentiæ ut est virtus specialis, quia omnis motus supernaturalis à fide incipit, quam actus spei conaturaliter subsequitur, non tamen omnis justificatio prærequirit actum vel habitum pœnitentiæ ut est virtus specialis, quia ad consequendam gratiam extra Sacramentum quandoque sufficit pœnitentia virtualis inclusa in actu dilectionis Dei super omnia, vel dolor de peccatis ex præciso motivo charitatis.

*Dices 2.* Ideo in Christo non fuit virtus pœnitentiæ, quia erat ab intrinseco impeccabilis, sed etiam beati, quamdiu sunt in statu beatitudinis, sunt intrinsecè impeccabiles; cum æquè repugnet peccatum consistere cum visione beatificâ, quam cum unione hypostaticâ; ergo.

*R.* Negando paritatem; quia impeccabilitas Christi convenit absolutè sine suppositione & pro omni statu, econtra impeccabilitas beatorum dicitur intrinsecè talis tantum ex suppositione status & formæ beatificæ, quæ non excludit impeccabilitatem pro omni statu; item impeccabilitas Christi excludit omnem connotationem peccati præteriti vel possibilis, ac ideo destruit motivum pœnitentiæ, impeccabilitas vero beatorum relinquit connotationem peccati non tantum possibilis sed etiam præteriti ideoque non destruit motivum pœnitentiæ.

*Dices 3.* Ideo beati in statu Patriæ amittunt fidem & spem; quia visio beata repugnat objecto utriusque  
virtu-

DE POENITEN. INQUAN. EST VIRTUS & SACRA. 19  
virtutis; sed etiam visio beata repugnat peccabilitati &  
consequenter objecto virtutis pœnitentiæ; ergo.

R. Disparitatem esse; quia motivum fidei connotat  
actualem obscuritatem, cui de præsentibus substat objectum  
revelatum, motivum spei connotat objecti sperati ab-  
sentiam & arduitatem, cum ergo repugnet visio beata  
obscuritati divinarum veritatum. Item beatitudo per-  
fectè possessa carentiæ possessionis, ideo est impossibi-  
le motivum fidei & spei cum clarâ visione Dei subsiste-  
re, motivum autem pœnitentiæ est honestas emenda-  
tionis & compensationis pro peccato proprio, sive il-  
lud sit in præsentibus sive in alio statu commissum, sive  
sit actu commissum, sive potuerit aliquando commit-  
ti, & ideo per actum visionis beatæ non destruitur  
motivum formale pœnitentiæ.

Dices 4. In beatis esse frustraneum & inutilem ha-  
bitum pœnitentiæ: cum nunquam Primarium actum  
hujus virtutis elicere possint, quamdiu enim sunt bea-  
ti, peccare non possunt, & consequenter nec pecca-  
tum proprium per contritionem retractare, beatitu-  
do autem est æterna & inamissibilis.

R. Quod sufficiat posse beatos elicere in statu bea-  
titudinis actus secundarios pœnitentiæ; in beatis enim  
reperiuntur quarundam virtutum actus secundarii,  
quando ex conditione status beatifici abest materia, cir-  
ca quam versentur actus Primarii illarum virtutum, ut  
pericula respectu virtutis fortitudinis, passiones respec-  
tu temperantiæ, nec tamen ideo denegantur illis habi-  
tus illarum virtutum; tum quia habitus illi per modum  
proprietas consequuntur gratiam sanctificantem, nisi  
per intrinsecam capacitatem subjecti impediuntur; tum  
quia in Patriâ sunt principia quorundam actuum, qui  
licet sint secundarii, sunt tamen perfectiores actibus  
hujus viæ & beatos perficiunt.

## QUÆSTIO II.

*An Pœnitentia sit Sacramentum distinctum & quando institutum?*

**O**lim novatiani negantes in Ecclesiâ esse potestatem reconciliandi relapsos post Baptisma, consequenter negarunt Sacramentum pœnitentiæ, in quo per ministerium sacerdotis verè pœnitentibus peccata post Baptismum commissa remittuntur. Heterodoxi nostri temporis vel non agnoscunt Sacramentum pœnitentiæ vel illud cum Sacramento Baptismi confundunt, ac à Christo esse specialiter institutum negant contra quos Trid. sess. 14. de pœnit. Can. 1. *Si quis dixerit in Ecclesiâ Catholicâ pœnitentiam non esse verè & propriè Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis à Christo Domino nostro institutum, Anathema sit.* Can. 2. *Si quis Sacramenta confundens ipsum Baptismum pœnitentiæ Sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo Sacramenta distincta non sint, atque ideo pœnitentiam non rectè secundam post naufragium tabulam appellari, Anathema sit.* Can. 3. *Si quis dixerit verba illa Domini salvatoris: accipite Spiritum Sanctum quorum remiseritis &c. non esse intelligenda de potestate remittendi & retinendi peccata in Sacramento pœnitentiæ, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit, detorserit autem contra institutionem hujus Sacramenti ad auctoritatem predicandi Evangelium, Anathema sit.* Ut hæc Catholici doctrina deducatur.

DICO I. *Pœnitentia, quæ in Ecclesiâ agitur, est Sacramentum.* S. Th. hic Q. 84. a. 1. O.

*Probatur:* Apostolis ac eorum successoribus dedit Christus potestatem remittendi peccata post Baptismum commissa Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt;*

DE POENITEN. INQUAN. EST VIRTUS & SACRA. 21  
sunt; sed per illa verba instituit verum novæ legis  
Sacramentum; quia ad Sacramentum novæ legis tria  
requiruntur. Primo ritus externus. Secundo a Chri-  
sto institutus & præceptus. Tertio promissio gratiæ,  
quæ ritui externo sit conjuncta; sed in relatis Christi  
verbis illa reperiuntur; ritus externus quidem: cum  
enim potestas peccata remittendi in hominum gratiam  
concessa sit, oportebat, ut aliquo signo externo exer-  
ceatur, alioquin homines, qui corporales sunt, pecca-  
ta sibi remitti non intelligerent, nisi adhibito aliquo ex-  
terno ritu dimitterentur; reperitur quoque divinum  
præceptum, dicit enim Christus Joan. 20. v. 21.  
*Sicut misit me Pater, & ego mitto vos v. 22. hæc cum  
dixisset, insufflavit, & dixit eis: accipite Spiritum  
Sanctum,* reperitur etiam promissio gratiæ, nec enim  
peccata remitterentur, nisi gratia sanctificans infun-  
datur.

*Obj. 1.* Joannis 20. nulla fit mentio certorum ver-  
borum, per quorum pronuntiationem Apostoli pec-  
cata remitterent; ergo in pœnitentia nulla est forma,  
quæ sit juris divini.

*R.* Licet non explicitè præscripta fuerit certorum  
verborum forma, attamen illa fuit insinuata implicitè  
Apostolis, quâ, dum peccata remitterent, uterentur;  
quippe jussi sunt absolutionem impendere per modum  
actus judicialis, qui essentialiter prolationem verbo-  
rum importat, undè Ecclesia tali prolatione inter ab-  
solvendum semper est usa.

*Obj. 2.* Confessio primò fuit instituta ab Inno-  
cent. III. in cap. omnis utriusque sexûs 12. de pœnit.  
& remiss. lib. 5. tit. 38. ergo non est divinitus insti-  
tuta.

*R.* Negando ant. quia in con. generali ab Inno-  
cent. III. in illo loco fuit determinatum tempus annuæ

confessionis, non autem ipsum Sacramentum primò institutum fuit.

DICO 2. *Baptismus habet virtutem ex passione Christi, sicut quedam spiritualis generatio... sed pœnitentia habet virtutem ex passione Christi, sicut spiritualis medicatio.* S. Th. hic Q. 84. a. 10. ad 5.

Hæc conclusio continet principalem differentiam inter Baptismum & pœnitentiam videlicet, quod Baptismus sit spiritualis hominis regeneratio & totalis renovatio per remissionem tam peccatorum actualium quam originalis, pœnitentia verò sit hominis jam spiritualiter regenerati sed peccato vulnerati sanatio, ergo distinguui ut pœnitentia à Baptismo, à quo etiam in aliis differt: primò in materiâ: quia materia Baptismi est aqua elementaris & in eâ facta ablutio, materia Sacramenti pœnitentiæ sunt peccata & actus pœnitentis.

Secundò in formâ: quia forma Baptismi est: *Ego te Baptizo &c.* forma pœnitentiæ. *Ego te Absolvo.*

Tertiò in ministro, qui in Baptismo est omnis homo, in pœnitentiâ solus sacerdos habens jurisdictionem.

Quartò in iterabilitate, Baptismus non potest iterari, bene tamen pœnitentia.

Quintò in Baptismo nulla satisfactio injungitur, sicut in pœnitentiâ,

*Obj. 1.* Vi characteris Baptismo impressi, modo homo illum in memoriam revocet, obtinetur remissio peccatorum post Baptismum commissorum, aliàs ille character frustra esset in animâ, quod etiam videtur asserere S. Aug. lib. 1. de nupt. & concupis cap. 33. tom. 7. ubi textum Apost. mundans eam lavacro &c. ità exponit: *Sic accipiendum est, ut eodem lavacro regenerationis & verbo sanctificationis omnia prorsus mala hominum regenerantium mundentur atque sanentur, non solum peccata, que omnia nunc remittuntur in Baptismo, sed etiam que posterius humanâ ignorantia*

vel

DE POENITEN. INQUAN. EST VIRTUS & SACRA. 23  
vel infirmitate contrahuntur & cap. 34. ac per hos  
non solum omnia peccata, sed omnia prorsus hominum  
mala Christiani lavacri sanctitate tolluntur. Ergo ex  
mente S. Aug. Pœnitentiæ Sacramentum remittens  
peccata est ipse Baptismus in memoriam revocatus.

¶. Negando Ant. si enim memoriâ repetitus Bap-  
tismus remitteret peccata, nulla erit assignabilis ra-  
tio, quare non remittat peccata sine tali reminis-  
centia, quæ efficaciam non tribuit sed supponit. Ad  
probat. dicendum, quod character Baptismatis fa-  
ciat hominem capacem, ut per Sacramentum Pœ-  
nitentiæ obtineat remissionem peccatorum postea  
commissorum, & hoc voluit S. Aug. loc. cit. vide-  
licet pœnitentibus remitti priora peccata per Bap-  
tismum, & per Baptismum hominem reddi aptum,  
ut eidem pœnitenti sequentia peccata dimittantur,  
ut patet ex verbis Subiunctis: *quid enim prodesset vel  
ante Baptismum Pœnitentia, nisi Baptismus sequere-  
tur, vel postea, nisi praeederet.*

Obj. 2. Idem prorsus est effectus Baptismi &  
Pœnitentiæ: productio nempe gratia vivificantis,  
quæ vitam spiritualem mortuo per peccatum pecca-  
tori confert; ergo est idem Sacramentum.

¶. Per utrumque quidem Sacramentum Bap-  
tismi & pœnitentiæ eandem gratiam entitativè sump-  
tam produci, sed non eodem modo, siquidem in  
Baptismo per regenerationem, in Pœnitentia verò  
per resuscitationem à mortuis, undè sicut resuscita-  
tio & regeneratio ex diverso modo, quo vitam tri-  
buunt, differunt specie, ità etiam Baptismus & Pœ-  
nitentia.

DICO 3. Patet convenienter hoc Sacramentum  
in nova lege institutum fuisse S. Th. hic Q. 84. A. 7. O.

Probat: cum enim Christus vellet remedium  
hominibus non tantum pro deletione peccati origi-  
nalis

nalis sed etiam peccatorum actualium, quando propria voluntate se à Deo avertunt, relinquere, convenientissimum fuit Sacramentum, in quo materia essent actus hominis, quibus ad Deum reverteretur, & tale est Sacramentum Pœnitentiæ, quod autem convenienter fuerit in lege novâ institutum patet: quia lex nova est lex perfectionis, in qua exhibita fuerunt merita Christi tribuentia Sacramentis omnem efficaciam; tempus autem hujus institutionis fuit ex con. Trid. Sess. 6. de justif. cap. 14. & Sess. 14. de Pœnit. cap. 1. Joan. 20. cum à mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos dicens: *accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*, quia tunc institutum fuit hoc Sacramentum, quando Apostolis & in Apostolis eorum successoribus tradita fuit potestas judiciaria absolvendi à peccatis; sed hoc factum est, quando Christus dixit citata verba, nec potest aliud tempus assignari non Matth. 16. dum Christus ad Petrum ait: *quidquid ligaveris &c.* nam tunc potestas absolvendi non fuit actu tradita, sed tantum promissa, ut constat ex illo ibidem *tibi dabo claves &c.* nec tunc Apostoli erant ordinati Sacerdotes, undè erant incapaces, ut acciperent potestatem judiciariam in corpus mysticum Christi; nec potest esse tempus institutionis hujus Sacramenti, quando Christus misit Apostolos ad prædicandum Matth. ult. dicens: *euntes docete &c.* quia actus prædicandi & baptizandi tunc Apostolis est commissus, non verò judicialis & remissivus peccatorum.

*Obj. 1. S. Th. videtur sentire, quod institutum fuerit hoc Sacramentum Matth. 16. tunc enim hoc Sacramentum instituit, quando id quod pertinet ad officium ministrorum determinavit, quod loc. cit. juxta S. Th. fecit.*



DE POENITEN. INQUAN. EST VIRTUS & SACRA. 25  
R. Mens S. Th. est, quod Christus tunc prædixe-  
rit illud, quod postea erat in Sacramentum insti-  
turus, non verò actualiter instituerit.

Obj. 2. Pœnitentia jam ante fuit in veteri lege  
præcepta & instituta, debebant enim variis ritibus  
& cæremoniis à peccatis mundari.

R. Pœnitentia ut virtus fuit in veteri lege præcep-  
ta Con. ut Sacramentum includens dolorosam pec-  
catoris confessionem & Sacerdotis absolutionem  
N. licet autem fuerint in veteri lege varia Sacrificia  
determinata pro variis peccatis, ac ità offerendo  
quasi confitebantur peccata sua, *nondum autem* (in-  
quit S. Th. loc. cit. ad 2.) *erat instituta potestas cla-  
vium, qua à Passione Christi derivatur; & per con-  
sequens nondum erat institutum, quod aliquis doleret  
de peccato cum proposito subjiciendi se per confessionem &  
satisfactionem clavibus Ecclesie sub spe consequenda ve-  
nia virtute Passionis Christi.*

### Q U Æ S T I O III.

*In quo consistat essentia hujus Sacramenti, & an  
sit ad salutem necessarium?*

DICO 1. In Pœnitentia est aliquid, quod est Sa-  
cramentum tantum scilicet actus exterius exer-  
citus tam per peccatorem pœnitentem, quam etiam per  
Sacerdotem absolventem S. Th. hic Q. 84. A. 1. ad 3.

Explico; Sacramentum Pœnitentiæ secundum  
essentiam Metaphysicam definitur signum practicum  
& effectivum gratiæ remissivæ peccati post Baptis-  
mum commissi, vel brevius; Sacramentum recon-  
ciliationis; ubi signum practicum & effectivum gra-  
tiz est genus commune omnibus Sacramentis novæ  
legis, cætera; gratiæ remissivæ peccati post Baptis-  
mum commissi: habent se per modum differentiæ  
Metaphysicæ distinguentis Sacramentum Pœniten-  
tiæ à reliquis Sacramentis. Sacramentum Pœniten-

uæ physicè spectatum prout est aliquod compositum artificiale ex rebus tanquam materia & verbis tanquam forma componitur ex actibus pœnitentis tanquam materia & absolutione Sacerdotis tanquam forma quod contrà Scotum, qui in 4. dist. 16. Q. 1. N. 7. his verbis: *Pœnitentia Sacramentum est illa absolutio sacramentalis facta certis verbis &c.* constituit totam essentiam Sacramenti Pœnitentiæ in absolutione sacramentali.

*Probat*ur 1. ex Trid. Sess. 14. cap. 3. *sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentis actus nempe contritio, confessio & satisfactio, qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti ad plenam & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione partes Pœnitentiæ dicuntur; ergo actus pœnitentis & absolutio Sacerdotis sunt partes essentielles constituentes hoc Sacramentum, ità ut actus pœnitentis sint pars materialis, absolutio Sacerdotis sit pars formalis, quia pars formalis determinat materialem, actus autem pœnitentis non determinant sed determinantur à forma absolutionis.*

*Nec obstat*: quod Trid. uti etiam Florent. dicant: *quasi materia*, ut enim ait catechismus romanus jussu S. Pii V. editus, *hi actus nec quasi materia à S. Synodo appellantur, quod verè rationem materia non habeant, sed quia ejus generis materia non sunt, quæ exterius adhibetur ut aqua in Baptismo & Chrisma in confirmatione.*

2. *Omne iudicium includit actus tam pertinentes ad reum quam ad Judicem; sed Sacramentum Pœnitentiæ est quoddam iudicium, cujus iudicii actus ex parte rei sunt confessio & quidem dolorosa in ordine ad impetrandam sententiam reconciliatoriam, ex parte Judicis verò sententia absolutoria*

ria, ergo Sacramentum poenitentiae includit essentialiter non solum absolutionem sed etiam dolorosam confessionem.

*Obj. 1.* secundum Trid. Sess. 14. de poenit. cap. 4. actus poenitentis disponunt ad gratiam recipiendam in Sacramento, quod autem est dispositio non potest dici pars intrinseca constituens compositum.

*R.* Trid. non dicere quod actus poenitentis v. g. contritio: sint dispositio ad Sacramentum, sed tantum ad effectum Sacramenti nempe ad remissionem peccatorum, nulla autem est implicancia, quod contritio v. g. sit dispositio ad gratiam recipiendam & quod ut pars Sacramenti simul sit causa efficiens gratiae ex opere operato.

*Obj. 2.* Secundum Trid. Sess. cit. cap. 6. Sacerdos est minister Sacramenti Poenitentiae, quod non subsisteret, si actus Poenitentis intrinsecè constituerent Sacramentum Poenitentiae: quia tunc Sacerdos non conficeret Sacramentum totum, sed Sacerdos & poenitens conficerent totum Sacramentum, ac consequenter Sacerdos cum poenitente est minister Sacramenti Poenitentiae.

*R.* Ut solus Sacerdos sit minister Poenitentiae, sufficit, quod formam applicet materiae; sicut agens naturale v. g. ignis corrumpens lignum dicitur producere compositum ignis praecisè ex hoc, quod in materiam ligni introducat formam ignis, licet materiam nequaquam producat; ita Sacerdos, quia formam Sacramenti actibus poenitentibus applicat, est unicus minister hujus Sacramenti.

*Obj. 3.* Totum Sacramentum producit gratiam: ut patet in Baptismo, in quo non tantum forma sed etiam ablutio ipsa vel physicè vel moraliter gratiam efficit, si ergo actus poenitentis sint pars constituens Sacramentum poenitentiae, etiam producunt gratiam, atque

ita sibi ipsi pœnitens confert remissionem peccatorum, sibi ipsi dat gratiam sanctificantem, & seipsum absolvit.

Re. Nihil absurdi esse, quod pœnitens sibi ipsi conferat gratiam, non quidem per modum causæ principalis, sed instrumentalis; ex quo tamen non sequitur, quod pœnitens seipsum absolvat, non enim ideo Sacerdos dicitur verè ac propriè absolvere pœnitentem, quod in causalitate gratiæ se habeat per modum instrumenti, quo mediante Deus gratiam producit, sed ideò, quia per modum Judicis causat remissionem peccatorum, quod non convenit pœnitenti, qui in tribunali pœnitentiæ non Judicis sed rei ac testis seipsum accusantis personam gerit, qualiter autem etiam ipsi actus pœnitentis per modum causæ instrumentalis gratiam causent præclarè explicat D. Th. hic Q. 86. A. 6. dicens: *actus humani, qui sunt ex parte peccatoris, materialiter se habent in Sacramento pœnitentiæ, omne autem Sacramentum producit effectum suum non tantum virtute forma, sed etiam virtute materia, ex utroque enim est unum Sacramentum... unde sicut remissio culpe fit in Baptismo non solum virtute forma, sed etiam virtute materiae scilicet aqua, principalius tamen virtute forma, ex qua ipsa aqua virtutem recipit: ita etiam remissio culpe est effectus pœnitentiæ, principalius quidem ex virtute clavium, quos habent ministri, ex quorum parte accipitur id, quod est formale in hoc Sacramento, secundario autem ex vi actuum pœnitentis pertinentium ad virtutem pœnitentiæ, tamen prout hi actus aliquantulum ordinantur ad claves Ecclesiæ.*

Obj. 4. Contritio non est sensibilis nec per se: cum sit actus internus voluntatis; nec per confessionem: quia confessio quandoque antecedit contritionem, ut si quis indispositus confiteatur, & per confessarium post confessionem disponatur ad contritionem, ac deindè contritus absolvatur.

R. Contritionem esse sensibilem vel per signa, quæ præcedunt, vel per signa, quæ illam subsequuntur ut per confessionem, per externam petitionem absolutionis, vel per confessionem, quæ etiam dolorem accessit, quæ confessio præterita remanet virtualiter & moraliter, donec absolutioni jungatur.

Q. An satisfactio actualis sit pars essentialis Sacramenti poenitentiae?

R. Non esse partem essentialem sed integram Sacramenti; non est pars essentialis: quia illa pars non est essentialis, sine quâ præcipuus & essentialis effectus Sacramenti obtineri potest: nunquam enim effectus Sacramenti confertur priusquam completa sit essentia Sacramenti; nam Sacramenta causant gratiam in ultimo instanti terminativo; sed sine satisfactione actuali potest obtineri essentialis effectus Sacramenti, qui est remissio peccatorum, hic enim datur per absolutionem, effectus verò absolutionis non potest pendere à conditione de futuro, satisfactio autem actualis fit communiter post absolutionem.

Deindè satisfactio actualis est pars integralis Sacramenti poenitentiae: quia illa est pars integralis, sine quâ quidem tota essentia physica haberi potest, pertinet tamen ad perfectionem essentiae; sic manus, pes, lingua in homine sunt partes integrales hominis: quia sine illis salvari quidem potest essentia physica hominis, sed sine actuali satisfactione potest quidem haberi essentialis effectus Sacramenti poenitentiae nempe remissio peccatorum, non tamen omnis perfectio & integritas Sacramenti: quia Sacramentum poenitentiae est secundario remissivum culpæ quoad reatum poenæ, ad hunc autem effectum satisfactio præcipuè ordinatur, illumque confert ex opere operato, ergo sicut iudicium, quo probatus reus sine mulctâ absolvitur, perfectione caret, ita mancum & imperfectum est sine satisfactione Sacramen-

mentum pœnitentiæ. *Dixi*: satisfactio actualis: nam satisfactio in voto & proposito sufficienter includitur in intentione recipiendi hoc Sacramentum, sicut à Christo institutum est, vel in actibus contritionis & confessionis.

DICO 2. *Sacramentum pœnitentiæ est necessarium non omnibus, sed peccato subjacentibus* S. Th. hic Q. 84. A. 5. in O.

*Probat*ur ex Trid. quod sess. 14. cap. 2. de pœnitentiâ ait: *est autem hoc Sacramentum pœnitentiæ lapsis post baptismum ad salutem necessarium ut nondum regeneratis ipse Baptismus*; sed Baptismus omnibus non regeneratis est necessarius ad salutem vel in re vel in voto; ergo. Item Cap. 5. *Universa Ecclesia semper intellexit institutam etiam esse à Deo integram peccatorum confessionem* & omnibus post baptismum lapsis iure divino necessariam existere. & Can. 6. *Si quis negaverit confessionem Sacramentalem vel institutam vel ad salutem necessariam esse jure divino... Anathema sit.* Ex quo sequitur Sacramentum pœnitentiæ vel in re; hoc est: ut materia & forma pœnitentiæ cum aliis requisitis actu ponatur, vel in voto, hoc est: ut quis præter contritionem vel amorem Dei super omnia habeat voluntatem & propositum ipsum Sacramentum suo tempore recipiendi (hoc votum est explicitum, si quis actu formali Sacramentum pœnitentiæ suscipere velit, implicitum verò, si contritioni vel dilectioni Dei super omnia propter inculpabilem inconsiderationem vel oblivionem peccatorum non sit conjunctum formale propositum confitendi) taliter inquam hoc Sacramentum est necessarium & necessitate mediæ & Præcepti divini.

Necessitas mediæ ita *probat*ur: id est ad salutem necessarium necessitate mediæ, sine quo prima gratia justificationis obtineri non potest, sed sine Sacramento pœni-

DE POENITEN. INQUAN. EST VIRTUS & SACRA. 3 E  
pœnitentiæ prima gratia justificationis & remissio pec-  
catorum post Baptismum commissorum obtineri non  
potest; probatur mi. ex verbis Christi Jois 20. &  
Math. 18. Sine quo retinentur peccata, & manet oc-  
clusus ingressus cœli, sine illo non obtinetur prima  
gratia; sed peccata commissa sine absolutione pœniten-  
tiali manent retenta, & ingressus cœli occlusus: quia  
Christus promittens cœli claves Petro addidit: quæ-  
cumque solveris super terram erunt soluta & in cœlis;  
non autem essent datæ claves cœlorum, si extra pote-  
statem clavium daretur ingressus cœlorum & solutio  
criminum, ita frustra daretur discipulis potestas pec-  
cata retinendi, si illa non petita vel obtenta absolutio-  
ne deleri possent.

Necessitas præcepti ex eo *probat*: quod Sacramen-  
tum pœnitentiæ ex institutione divinâ sit necessarium  
hoc ipso, quod Christus illud voluerit esse medium  
necessarium ad obtinendam gratiam & ad consequen-  
dam remissionem peccatorum, patet etiam ex cit. ver-  
bis Trid. quod autem vel in re vel in voto Sacramen-  
tum pœnitentiæ sit necessarium ad salutem tradit Trid.  
sess. 14. Cap. 4. dicens: *docet præterea, etsi contri-  
tionem hanc aliquando charitate perfectam esse contin-  
gat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc  
Sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus  
reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto,  
quod in illâ includitur, non esse adscribendam.* Ex  
quibus videtur inferri: quod votum Sacramenti pœni-  
tentiæ non necessariò debeat esse explicitum, sed sufficiat  
esse implicitum: cum dicat concilium votum pœnitentiæ  
in contritione includi, quibus significatur contritionem  
ejus esse naturæ, ut nunquam sit sine pœnitentiæ vo-  
to, cum propter naturalem inconsiderationem sæpè  
possit esse sine expresso pœnitentiæ proposito. Ratio  
autem, cur votum implicitum videatur ad justificatio-  
nem

nem sufficiens, est : quia votum illud implicitum est, cum per contritionem formalem vel virtualem ita efficaciter voluntas determinatur ad amplectenda omnia media salutis & media reconciliationis, ut illa vellet actu formali amplecti, si hic & nunc occurreret illorum memoria; sed talis contritio sufficit ad justificationem, cum sit ultima dispositio ad primam gratiam, ergo.

*Obj. 1.* Martyrium cum solâ attritione probabiliter juxtâ dicta Disput. XVII. Q. III. sufficit ad justificationem; sed illud non est votum Sacramenti pœnitentiæ; ergo.

*R.* Dissimulatâ majore, quæ est explicata loc. cit. negando mi. quia in casu, quo attritus tantum martyrio afficitur, illa attritio generalis, uti propter conjunctionem cum martyrio elevatur, ut sit sufficiens dispositio ad primam gratiam, ita etiam ut sit implicitum votum pœnitentiæ.

*Obj. 2.* Si propter implicitum votum pœnitentiæ inclusum in contritione sufficiens ad salutem, pœnitentia dicatur necessaria in voto, etiam Eucharistia in voto erit ad salutem necessaria: quia inter præcepta, ad quæ servanda perfecta contritio hominem sufficienter determinat non minus continetur præceptum Eucharistiæ, quam pœnitentiæ.

*R.* Negando seq. quia Sacramentum Eucharistiæ non est per se ordinatum ad conferendam primam gratiam, sicut Sacramentum pœnitentiæ, nec contritio potest esse pars Eucharistiæ, sicut potest esse & est pars pœnitentiæ, undè pœnitens per contritionem non ita ordinatur ad Eucharistiam sicut ad pœnitentiam.

*Obj. 3.* Si Sacramentum pœnitentiæ adultis lapsis foret necessarium necessitate medii, Ecclesia majus onus pateretur in lege gratiæ, quam habuerit in lege mo-

saicâ



saicâ, in qua fideles sine Sacramento & sine voto Sacramenti per solam contritionem salvari poterant.

R. Negando seq. Quia facilius est remedium confessionis Sacramentalis cum sola attritione, quam perfecta contritio, quæ tunc erat necessaria, nec requiritur votum Sacramenti explicitum sed sufficit implicitum.

#### QUÆSTIO IV.

*An actus virtutis pœnitentiæ sit necessarius ad remissionem peccatorum:*

Quæstio hæc non procedit de absoluta Dei potentia, an nempe tanta sit necessitas pœnitentiæ ad remissionem peccatorum, ut per absolutam Dei potentiam nequeat peccatum propria voluntate commissum sine actu pœnitentiæ remitti sententia enim affirmans, quod peccatum propriâ voluntate commissum per absolutam Dei potentiam possit remitti sine actu pœnitentiæ, fundatur in eo tum quia nulla videtur implicantia in hoc, quod Deus infunderet gratiam sanctificantem peccatori dormienti, sicut eam infundit infanti vel amenti baptizato, quo casu gratia sanctificans necessario expelleret peccatum tanquam privationem oppositam. Tum quia actus pœnitentiæ non est ipsa forma tollens peccatum habituale, sed tantum requiritur tanquam prævia dispositio ad gratiam; potentia autem absoluta Dei non est dependens à præviis dispositionibus: cum illi respondeat potentia obediens Creatoris ad omnem effectum non implicantem; opposita tum ex ratione tum ex autoritate sacræ Scripturæ & Sanctorum Patrum sunt intelligenda de congruâ remissione peccatorum faciendâ secundum præsentem Dei ordinationem. Unde hæc Quæstio procedit secundum legem Dei ordinariam de necessitate pœnitentiæ, ubi distinguenda est duplex necessitas: mediæ & Præcepti.

*III. Partis Theol. Schol. suppl.*

C

*Nota*

*Nota:* quod Præceptum virtutis pœnitentiæ possit dupliciter obligare per se vel per accidens. Per se dicitur obligare, quando ratione sui & ratione specificæ honestatis obligat, & tunc ommissio actus pœnitentiæ est speciale peccatum specialiter in confessione exprimendum, & vocatur peccatum impœnitentiæ; per accidens obligat, quando ratione alterius virtutis sive propter conjunctionem cum alio Præcepto, quod sine pœnitentiâ observari nequit, obligat, ut si quis velit suscipere Sacramentum vivorum, quod sine præviâ contritione vel confessione à peccatore recipi non potest; & tunc ommissio pœnitentiæ non est speciale peccatum distinctum à transgressione alterius Præcepti v.g. à peccato Sacrilegii & indignæ susceptionis Sacramenti in dicto casu.

*DICO.* *Impossibile est, quod peccatum alicui remittatur sine pœnitentiâ secundum quod est virtus.* S Th. hic Q. 86. A. 6. in O. Sive homini in peccato mortali constituto in omni statu necessarius necessitate mediæ est actus pœnitentiæ vel aliqua contritio. Etiam necessitate Præcepti naturalis & divini.

Prima Pars constat ex Trid. sess. 14. Cap. 1. *Fuit quidem pœnitentiâ universis hominibus qui se mortali aliquo peccato inquinassent quovis tempore necessaria ad gratiam & justitiâ consequendam & Cap. 4. Fuit quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius.*

Fundatur hæc necessitas in Scriptura ut Luc. 13. v. 3. *Nisi pœnitentiâ habueritis omnes similiter peribitis & act. 2. v. 38. Pœnitentiâ agite & baptizetur unusquisque vestrum,* qua loquendi forma significatur necessitas mediæ, ut est similis locutio Joan. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu sancto.* Unde probatur Baptismum esse necessarium necessitate mediæ. *Ratio est:* quia id, cujus effectus est simpliciter

DE POENITEN, INQUAN. EST VIRTUS & SACRA. 35  
ter necessarius ad salutem, est necessarium necessitate  
medii, sed effectus pœnitentiæ aut contritionis: nempe  
Peccatorum remissio & justificatio: est simpliciter neces-  
sarius omnibus in mortali constitutis; ergo & ipsa pœni-  
tentia; licet enim juxtà dicta de potentia absoluta  
Deus peccatori actu non peccanti possit remittere pec-  
catum, eumque actu justificare & in gratia constituere  
sine contritione & pœnitentiâ, Deus tamen de facto  
nullum adultum vult justificare sine actibus pœnitentiæ  
à peccatore elicitis: cujus congruentia est: quia per  
omne peccatum mortale avertitur homo à Deo, &  
convertitur ad Creaturam; ergo convenientissimum  
est, ut non tollatur peccatum nisi per conversionem  
ad Deum & aversionem à Creatura; sed ubicunque  
sunt hi actus, ibi est pœnitentia vel contritio aliqua.  
Dixi: contritio aliqua: quia vera conversio ad Deum  
& aversio ab omni Creaturâ vel est contritio formalis  
vel virtualis in actu dilectionis Dei inclusa: actus enim  
perfectæ charitatis eminenter continet omnem virtu-  
tem perfectæ pœnitentiæ, ideoque habet diligens vir-  
tualiter aversionem à quovis peccato, quod est Deo  
contrarium, & virtuale propositum abstinendi ab om-  
ni peccato, omniaque faciendi, quæ Deus præcepit,  
item actus illi vel sunt contritio perfecta vel imperfecta,  
contritio perfecta non est de necessitate medii in hoc  
statu, nisi in defectu Sacramentorum.

Ratio secundæ partis sumitur ex natura justitiæ &  
charitatis, nam lex naturalis justitiæ exigit satisfactio-  
nem præstandam injuriato eo modo, quo potest & de-  
bet is, qui injuriam intulit; sed quolibet peccato  
mortali fit injuria Deo à peccatore, & Deus ex infini-  
ta sua bonitate petit in satisfactionem contritionem,  
quod probant plura loca Scripturæ Ezech. 18. v. 21.  
*Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis,  
qua operatus est, . . . vita vivet & non morietur* Zach. 1.

v. 3. *Convertimini ad me. . . & convertar ad vos.*  
Deinde ex lege charitatis erga seipsum tenetur quilibet se se eripere à magnis miseriis & periculis tum corporis, tum maximè animæ; sed anima peccato mortali infecta est in gravissimâ miseriâ & certissimo periculo æternæ damnationis.

Porro hoc Præceptum simpliciter spectat ad virtutem pœnitentiæ, quæ sola reparat jus divinum læsum; quia autem per pœnitentiam etiam satisfit Præcepto charitatis erga Deum, propter quem detestamur peccatum, & ad Deum convertimur; & præcepto charitatis erga nos, dum malum à nobis avertimus & ad viam salutis revertimur, etiam pertinet ad charitatem; quia tamen charitas Dei & suiipsius quasi in omni Præcepto involvitur, in omni enim peccato agitur contra charitatem Dei & suiipsius, idèò omittere pœnitentiam, quando homo eam posset & deberet exercere, non est speciale peccatum contra charitatem Dei & suiipsius, sed speciale peccatum impœnitentiæ contra virtutem pœnitentiæ.

*Q* Quando obligatur peccator ad eliciendum actum virtutis pœnitentiæ?

*R. I.* Tenetur se per actum pœnitentiæ ad remissionem peccatorum disponere in Articulo vel probabili periculo mortis: quia quilibet tenetur ad satisfactionem præstandam, quando imminet certum periculum, ne deinceps satisfactionem præstare possit, sed in Articulo mortis est certum periculum, quod peccator posthac pro peccatis satisfacere non possit eorumque deletionem impetrare, nisi actum contritionis eliciat; ergo peccator tenetur ex Præcepto pœnitentiæ contritionem elicere. *Dixi*: ex præcepto pœnitentiæ: quia non est dubium, quod peccator in Articulo mortis teneatur ex lege charitatis erga Deum & seipsum ad procurandam contritionem; quia hâc neglectâ actum est

est de æternâ salute, si autem quærat, an huic obligationi satisfiat per contritionem imperfectam? videtur respondendum, in hoc Articulo esse obligationem ad contritionem perfectam licet simul suscipiatur Sacramentum pœnitentiæ: vel enim nunquam est obligatio ad contritionem perfectam, vel est in hoc Articulo, in quo agitur de summâ salutis, & sicut justus in hoc Articulo, ut tenet communior Theologorum sententia obligatur ad exercendum actum charitatis, ita obligatur peccator ex motivo charitatis detestari peccatum, ut Deo perfectè satisficiat pro injuriâ per peccatum illatâ: ex quâ ratione infertur obligatio ad eliciendam contritionem non tantum in Articulo sed etiam in quovis probabili sive morali periculo mortis, in quo nempe mors plerumque accidere solet, ut in prælio, in loco, ubi pestis grassatur, in longa & periculosa navigatione, in puerperio.

2. Extrâ periculum mortis tenetur peccator actum pœnitentiæ non diu differre, aliàs notabiliter differens denuò per impœnitentiam peccat contra virtutem pœnitentiæ. Itâ verior & tutior Theologorum sententia, quam omninò evincere gravissimi textus S. Scripturæ videntur tam seriò inculcantes veram conversionem & damnantes dilationem pœnitentiæ, nobis sufficiant verba D. Th. hic Q. 84. A. 5. ad 2. ubi ait: *Ex quo aliquis peccatum incurrit, requirit charitas, quod homo doleat de offensâ in amicum commissa, & quod amico homo studeat satisfacere: requirit etiam ipsa fides, ut per virtutem passionis Christi, quæ in Sacramento operatur, quærat justificari à peccatis, requirit etiam ipsa misericordia ordinata, ut homo subveniat pœnitendo suæ miseriæ, quam per peccatum incurrit secundum illud Proverb. 14. Miseros facit populos peccatum, undè Ecclesiast. 30. dicitur: Miserebere anima tua placens Deo.* Ex quibus duplici ratione respon-

lio probari potest tum ex parte Dei tum ex parte hominis. Ratio ex parte Dei est: peccat gravius contra justitiam, qui diutius protrahit restitutionem pecuniæ, quam furatus est, ergo graviter quoque contra pœnitentiam peccat, qui differt suam contritionem: cum per peccatum mortale summam divinæ Majestati injuriam intulerit, ac ab eâ, quantum est in se, abstulerit rationem ultimi finis Deo Creaturam præponens; est ergo nova injuria ac interpretativus Dei contemptus contra Præceptum Pœnitentiæ voluntariè persistere in inimicitia Dei ac differre compensationem injuriæ Deo per peccatum illatæ, toties ipso Deo monente & movente per auxilia gratiæ tum intrinseca ut bonas inspirationes, remorsus conscientiæ, tum extrinseca ut exhortationes, bona exempla; sicut ergo Præceptum restitutionis faciendæ ex justitia strictè dicta est radicaliter negativum, ita etiam Præceptum pœnitentiæ est ex parte negativum, quo prohibemur, ne Deo simus inimici, undè verba illa Spiritus S. Eccles. s. v. 8. *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem.* Non sunt nudum consilium sed propriam & strictè dictam legem continent.

Ratio ex parte hominis est: quia peccator in statu peccati mortalis persistendo gravissimam bonorum spirituum jacturam, pericula in graviora mala labendi & tandem indurationem in malo incurrit ut enim ait Gregorius M. homil. 11. in Ezech. *Peccatum sicutius pœnitendo non tergitur justo Judicio omnipotens Deus obligatam peccatis mentem etiam in culpam alteram permittit cadere, ut qui flendo & corrigendo noluit mundare, quod fecit, peccatum incipiat peccato cumulare & Concilium Milevitanum Can. 3. definivit, quod homo gratia justificante indigeat, ut servetur à lapsu peccati mortalis; ergo si peccator se per pœnitentiam in Dei gratiam restituere differat, manifestum adit periculum alterius peccati ex altero incurrendi.* Ad-

*Adde:* quod, si differatur pœnitentia peccato mortali admissio, sit periculum ne quis moriatur in statu peccati mortalis, ratione cujus periculi Christus in Evangelio tam severè præcipit omnibus hominibus, ut semper vigilent & sint parati pro horâ mortis ut Matth. 24. *Vigilate ergo quia nescitis, quâ horâ Dominus vester venturus sit*, sed vigilare est esse paratum pro expectandâ horâ mortis, pro quâ nullus est paratus, qui non sit in statu justificationis, ergo ex lege charitatis erga seipsum est peccator obligatus pœnitentiam non differre.

*Dices:* Licet ex violatione justitiæ erga hominem oriatur obligatio non differendi restitutionem, est enim obligatio negativa non retinendi rem alienam, quia proximus cui facta est injuria, tamdiu patitur detrimentum in suis bonis, quamdiu differtur restitutio; aliud tamen est in injuriâ Deo per peccatum illatâ: quia Deus nihil patitur, licet debita satisfactio in plurimum tempus differatur.

2. Quod omnis dilatio restitutionis sive honoris sive pecuniæ ablatæ, quantum est de se, & ex suâ natura personæ læsæ & legitimo Domino noceat, hinc adversatur justitiæ & reus est læsæ justitiæ peccator, qui aliquid agit, ex quo spectatâ rei naturâ grave Deo damnum sequitur, quod autem in re & effectu, nec peccatum nec admissio peccato dilatio satisfactionis Deo noceat, est planè per accidens.

3. Non tamen est obligatio ad eliciendum actum pœnitentiæ statim post admissum peccatum, ita communis contra aliquos rigidiores, qui volunt, quamprimum admissum est peccatum, obligari peccatorem ex virtute pœnitentiæ pœnitere, ita ut si pœnitere negligat novum peccatum impœnitentiæ incurrat, Ratio autem responsionis est tum: quia qui pauco tempore pro illatâ proximo injuriâ satisfactionem differt,

aut qui statim rem alienam ablatam non restituit, non fit reus novi peccati mortalis; ergo nec impius qui brevi tempore negligit injuriam Deo illatam resarcire ipsique restituere per pœnitentiam honorem ablatum. Tum quia licet quis grave damnum sibi inferat, dum periculosè decumbit, multum differendo usum medicinæ, attamen ut plurimum non nocet sibi graviter, qui non statim morbo remedium adhibet, ita nec is, quem mox non pœnitet, grave damnum sibi infert, & proindè mortaliter non peccat.

*Dices 1.* Voluntariè permanere in statu peccati mortalis, ac velle esse ac permanere inimicus Dei est intrinsicè malum ac omni tempore illicitum, quia semper tenemur cessare à peccato mortali, & deponere omnem affectum ad peccatum mortale; qui autem vult manere in peccato mortali, retinet affectum ad peccatum mortale, sed cogitans se de facto esse in statu peccati mortalis & tamen negligens pœnitentiam, nec eliciens contritionem voluntariè permanet & vult permanere in statu peccati mortalis & inimicitia cum Deo; ergo semper peccat, quia semper est obligatio deponendi per pœnitentiam affectum ad peccatum, saltem quamprimum memoria peccatum commissum occurrit.

*R.* Distinguendo: peccator negligens elicere contritionem, dum memoria occurrit peccatum mortale commissum, voluntariè permanet in statu peccati mortalis positivè nempe per actum positivum, quo vult peccatum aut inimicitiam cum Deo. N. sic autem permanere in peccato est novum peccatum: complacentia enim de commisso peccato est novum actuale peccatum; permanet in statu peccati mortalis negativè tantum. Con. sicut autem ille non peccat mortaliter, qui mox à peccato per detestationem illius affectum peccati non deponit, modo tamen peccato novum consensum non præbeat, nec de illo delectetur, sed circa peccatum,  
alie



DE POENITEN. INQUAN. EST VIRTUS & SACRA. 41  
aliò mentem divertendo, merè negativè se habet, ita  
nec ille novum peccatum committit, qui non conteritur,  
quamprimum admissa crimina occurrunt illius  
memoriæ.

*Dices 2.* Illo etiam tempore brevissimo, quo im-  
pius voluntariè manet in statu peccati mortalis, exponit  
se periculo æternæ damnationis: cum nullus etiam ullo  
momento sit securus de suâ vitâ & intra quodcunque  
breve tempus mori posset; ergo.

*R.* Illud periculum non esse morale: quia non sæ-  
pè nec secundum prudentum æstimationem mors ho-  
mini sano intra breve tempus secundum ordinarium  
cursum accidere solet; est ergo tantum periculum  
metaphysicum, nemo autem peccat mortaliter, qui  
voluntariè se exponit periculo metaphysico gravis mali,  
aliàs nullus auderet trajicere flumen, cum adsit peri-  
culum metaphysicum submersionis navi casu inversâ  
vel exortâ subitò tempestate. Nullus auderet manere  
sub tabulato, cum semper posset corruere.

*Dices 3.* Varia sunt scripturæ loca, quæ indicare vi-  
dentur, esse obligationem statim agendi pœnitentiam  
post lapsum in mortale, pro quâ sententiâ etiam stare vi-  
detur S. Th. dum 2. 2. Q. 62. a. 8. O. ait: *Manife-*  
*stum est, quod nec per modicum tempus licet in pecca-*  
*to morari, sed quilibet tenetur peccatum statim dese-*  
*rere.* in 4. dist. 17. Q. 3. a. 1. Quæstion. 4. ait:  
*Dicendum, quod cum propositum confitendi sit anne-*  
*xum contritioni, tunc tenetur aliquis ad hoc propositum,*  
*quando ad contritionem tenetur, nempe quando pecca-*  
*ta occurrunt memoria.* Adhuc severior est S. Bona-  
vent. qui vult eum se novo peccato constringere, qui  
statim à peccato commisso non confitetur.

*R.* Particulam statim in S. Th. & Sanctis Patribus  
non sumendam esse Mathematicè sed moraliter, ita  
ut peccet mortaliter impius, qui non conteritur intra

tempus, quo secundum prudentum æstimationem mors ut plurimum solet accidere aut ratione cujus prudentum judicio censetur notabilis dilatio pœnitentiæ.

4. Per accedens obligat præceptum pœnitentiæ in his casibus Primò cum urget lex recipiendi aliquod Sacramentum vivorum: quia tale Sacramentum statum gratiæ in subiecto, cui confertur, supponit. Secundò quoties incumbit onus administrandi saltem ex officio aliquod Sacramentum: quia tunc minister debet sese Christo principali agenti in sanctitate conformare. Tertiò quando quis positus in occasione peccandi gravibus tentationibus urgetur, quas se moraliter evadere non posse judicat, nisi per contritionem ad Deum conversus ejus gratiam & auxilia efficaciora obtineat: tenetur enim quilibet adhibere media ad evitanda peccata. Quartò quando ob peccatum alicujus v. g. principis communitas incidisset in periculum, ut à Deo graviter puniretur, sicut accidit in peccato Achan Josue 7. & peccato David 2. Reg. 12. tali casu peccator, qui foret causa vel occasio mali imminentis, obligaretur ad placandum Deum per pœnitentiam & ad avertendum à communitate pœnas. Quintus casus: nempe quod singulis diebus festivis peccator per accedens obligetur ad pœnitentiam: quia ex præcepto sanctificandi diem Sabbathi obligatur quilibet illis diebus Deo vacare, quod facere non potest, qui est in statu peccati mortalis, nisi de eo conteratur, communiter à Theologis rejicitur: quia nullum est jus divinum aut Ecclesiasticum diebus Dominicis & festivis actum pœnitentiæ præcipiens, deindè ex praxi fidelium abstinentiâ ab operibus servilibus & auditione missæ censetur præcepto sanctificandi diem festum esse satisfactum.